

Felicis III. Romani Pontificis opem adversus Semi-Pelagianos imploravit S. Præsul. Transmisit ad ipsum Felix quædam Capitula apud Sedem Apostolicam asservata, de gratia, & libero arbitrio ex S. Aug. operibus excerpta, quæ Cæsarius in Synodo 2. Arafusice (Orange) occasione Dedicationis Ecclesie congregata ann. 529. protulit, ex quibus confecti sunt 25. Canones in damnationem Semi-Pelagianismi.

Hanc damnationis sententiam confirmavit Bonifacius II. Felicis successor, ut constat ex ejus ep. ad Cæsarium data ann. 530. in qua inter alia dicit: *Quapropter, affectu congruo salutantes, supra scriptam confessionem vestram consentaneam Catholicis Patrum regulis approbamus.* Quo tandem ultimo ictu atrita est Hæresis Semi-Pelagiana. Hanc Synodus Arafusicam pariter confirmavit Synodus Valentina ann. 840. & Trid. Sess. 6. cap. 1. 2. & 3. ann. 1546. Hos Canones Arafusicos, quibus continetur fidei Ecclesie circa gratiam, diligenter perpendat Lector, Augustinianæ, & Thomasticæ doctrine studiosus.

§. II. An, & qualem gratiam Semi-Pelagiani admiserint ad initium fidei, & salutis?

Quæstionem intricatissimam hic proponimus. Cum enim Semi-Pelagiani, ut observat S. Prosper cap. 5. contra Collat. sibi contradicerent, & modo loquerentur ut Catholici, modo ut Pelagiani; imò plerique faterentur se nihil invenire, quod placeret, sed tantum displicere modum Augustini, haut facile est attingere præcisè quid senserint; & hinc in varias opiniones abierunt Theologi.

Præmittit, quæ certa videntur. 1. Certum est, Semi-Pelagianis omnibus summopere displicuisse Augustini gratiam victicem præviam, & discretionem Electorum secundum positum absquæ præsentia meritorum. Dicebant enim, referente Prospero ad Aug. *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si Dei constitutio humanas præveniat voluntates, & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quamdam induci necessitatem.* 2. Certum videtur, Semi-Pelagianos ad initium fidei admisisse gratias illustrantes intellectum, & moraliter, atque objective moventes voluntatem, non solum exteriores, sed etiam interiores: quia 1. dicebant, omnes vocari ad fidem: *Hæc ipsorum definitio*, inquit Prosper in Ep. ad Aug. *omnem hominem ad credendum, & operandum divinis institutionibus admoneri.* Certum est autem, non omnes vocari vocatione, seu prædicatione exteriori: ergo interiori. 2. Quia erat eadem utriusque ratio apud ipsos, nec interior magis repugnabat eorum systemati, quam exterior; cum enim utraque solidam illuminaret, & objective tantum voluntatem moveret, neutra autem consensus efficeret, sed a voluntate promendum expectaret, semper subat initium fidei, & salutis esse a nobis, & non a Deo. 3. Quia aliquin fuissent deteriores Pelagianis, qui has gratias morales ex parte intellectus admittebant, ut probavimus superius. 4. Patet ex Gennadio, qui lib. de Ecclesiast. dogmatibus c. 19. dicit: *Manet itaque ad querendam salutem arbitrii libertas, id est, rationalis voluntas, sed admonente prius Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est, inspiratione: nomine autem Inspirationis palam est significari gratiam interiori prævenientem, saltem moralem, ex parte intellectus.* Hac quippe voce Synodus Arafusica contra Semi-Pelagianos, & Trid. usæ sunt ad exprimendam gratiam interiori: inde etiam Patres Africani probaverunt Zosimum Papam gratiam interiori admisisse, quia eam dixerat Dei instinctum, seu inspirationem.

Si opponas hanc propositionem 4. Jansenii: *Semi-Pelagiani admittebant gratie interioris prævenientis necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & hoc erant Hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare, esse damnatam ut falsam, & hæreticam.* R. in propositione Jansenii agi tantum de gratia voluntatis strictè dicta, quæ nempe voluntatem ipsam intrinsecè afficit, & ad consensus efficienter inclinet, non vero de gratia intellectus, quæ scilicet ipsum illuminet, & moraliter tantum, ac objective moveat voluntatem, de qua hic loquimur. Ità ipsemet Honor. Tournely, diligentissimus Jansenismi indagator, & fervidus impugnator q. 3. de grat. §. *Quis fuerit*, &c. ubi quærit, an Semi-Pelagiani interioris gratie necessitatem ad initium fidei negaverint, vel admitterent: & postquam ostendit, Jansenium docere eos admisisse necessitatem gratie interioris, notamine 3. ante Conclusionem sic ait: 3. *Notandum, gratiam interiori aliam esse in intellectu, quam nempe intus illustratur; aliam in voluntate, qua intus, & immediatè afficitur, & juratur ad bonum opus. De hac una posteriori hic agitur.*

Quæstio itaque remanet, utrum Semi-Pelagiani admiserint ad initium fidei gratiam prævenientem voluntatem ipsam intus

afficientem, indifferenter tamen, & sic, ut voluntas posset ipsi dissentire, vel consentire.

Jansenius l. 8. de Hæresi Pelagiana c. 6. contendit, Semi-Pelagianos admisisse veram gratiam interiori prævenientem ad initium fidei, sed indifferenter, & suspensam, atque in hoc fuisse Hæreticos, quod vellent voluntatem illi posse resistere, vel obtemperare; quæ est 4. ejus propositio damnata, ut vidimus modo. Hac damnatione non obstante, plures Theologi Catholici tenent eandem sententiam quoad primam partem argumentis, haud contemnendis. Quantum ad damnationem Propositionis, Jansenianæ, multifariam respondent. 1. Quidam dicunt, hanc propositionem esse hypotheticam, ad falsitatem autem hypotheticæ sufficere, si unum membrum sit falsum, quale est secundum in hac propositione. 2. Quidam respondent, quod prima propositionis pars, cum sit indefinita, consequenter universalis, sit revera falsa; quia, inquit, non omnes Semi-Pelagiani, sed quidam tantum admiserunt gratiam ad initium fidei. 3. Quidam dicunt, quod ista gratia, quam admittebant Semi-Pelagiani ad initium fidei, non erat proprie, & reipsa præveniens, sed potius sequens, voluntatem; quia non erat per se efficax consensus, sed ipsum expectans a voluntate, & idè ipsam potius sequens, quam præveniens. 4. Quidam tandem dicunt, primam partem propositionis Jansenianæ esse merum factum, circa quod non est infallibilis Ecclesie definitio.

Altera sententia negat generaliter, Semi-Pelagianos unquam admisisse gratiam interiori prævenientem ad initium fidei. Ità omnes gratie per se efficax impugnantur. Quidam d'inguunt, ut jam inter Semi-Pelagianos. Volunt, quosdam Pelagio viciniores omnem gratiam ad initium fidei repudiare, aliquos a Pelagio remotiores aliquam admisisse. Ità Franciscus Macedo, & post ipsum noster Gonet. Sed in hoc non recedunt a sententia Jansenii; qui pariter distinguit istas duas classes Semi-Pelagianorum.

Doctissimus noster Goudin, ejus sententia mihi præ aliis probatur, aliter distinguit inter Semi-Pelagianos, & dicit eos diversimodè intellexisse initium fidei, & salutis. Quidam illud reponant in actibus formatis, scilicet in ipso actu fidei, vel in petitione, & inquisitione gratie, & salutis, quos tamen actus præambulos non reputant opera salutis; sicut petere, seu querere Medicum, illum desiderare, seipsum illi credere, inquebant, non sunt opera curationis, & sanitatis, ut jam observavi. Quidam verò, argumentis Catholicorum agitati, a Pelagio magis recedentes, per initium fidei, seu salutis non intelligebant actum formatum fidei, aut alium aliquem actum bonum præambulum, sed ita illud extenuabant, ut ad qualecumque initium bonæ voluntatis, hoc est, ad solum consensus, & acceptionem gratie obligate tandem reducerent. Nam oblatam Medici opem acceptare est veluti seipsum illi credere, ejusque peritiam fidere, quod in rebus divinis fidei nomine intelligi aliquo modo potest. Ità colligitur 1. ex Hilario ad Aug. *Arbitrium*, inquit, *ad hoc tantum liberum asserunt, ut velit, vel nolit admittere medicinam. Ceterum abominari se, & damnare restantur, si quis quidquam vitium in aliquo remansisse, quo ad salutem progressi possit, existimet. Nec ad incertum voluntatis Dei deducti se volunt, ubi eis quantum putant ad obtinendam, vel amittendam evidens est, qualecumque sit initium voluntatis.*

2. Ex S. Prospero ad eundem Aug. *Quidam horum*, inquit, *in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut, cum ad confuendam eam Christi gratiam, que omnia præveniat meritis, cogentur, ad conditionem hanc velint inuicemque hominis pertinere, in qua nihil eum merentem, quia nec existentem, liberi arbitrii, et rationalis gratie Creatoris instituit, ut per discretionem boni, et mali ad cognitionem Dei, et ad obedientiam mandatorum ejus, possit suam dirigere voluntatem, atque ad hanc gratiam, qua in Christo renascimur, pervenire, per naturalem scilicet facultatem querendo, petendo, pulsando, ut idè accipiat, idè inveniat, idè introat; quia, bono naturæ usus, ad istam salvatam gratiam initialis gratie ope meruerit pervenire.* Vocabant autem liberum arbitrium initialem gratiam, seu gratiam Creatoris. Porro, si quidam tantam ex Semi-Pelagianis Pelagio viciniores reponebant initium fidei, & salutis in istis actibus formatis præambulis; sequitur, fuisse alios a Pelagio remotiores, qui illud reponebant in qualicumque initio bonæ voluntatis, id est, in ipsa sola acceptione gratie oblate, ut dictum est.

Hac distinctione posita observandum est, gratiam posse considerari dupliciter: 1. Ut oblatam. 2. Ut collatam voluntati. Item gratiam actualem, qualiscumque sit non posse recipi in voluntate, nisi in ea aliquem motum, seu affectum causet; sed enim gratia actualis motus; non est autem motio moventis sine motu mobilis: His præmissis,

Dico 1. Probabilis est, nullum Semi-Pelagianorum admisisse ad initium fidei necessitatem gratie prævenientis indifferenter reipsa collate voluntati. Omissis variis probationibus pe-

petitis ex ipsis Semi-Pelagianis, & ex eorum impugnatoribus Aug. Prospero & Hilario, quia & fusiores sunt, & plures patiuntur instantias, & solutiones a defensoribus opinionis Jansenii, conclusionem brevius probamus ex ipso systemate Semi-Pelagianorum, & ex data notione gratie actualis collate. Igitur

Prob. 1. Gratia actualis interior collata voluntati ad initium fidei, quantumvis supponatur indifferens, & pendula ab arbitrio, repugnat capitali errori Semi-Pelagianorum: ergo. Prob. Ant. Capitalis error Semi-Pelagianorum erat, quod initium fidei, & salutis esset ex nobis, & non ex Deo, & quod collata gratie salutem operantis non precederet, sed sequeretur obedientiam nostram, juxta illud Faustii l. 2. de Grat. & lib. arbit. c. 9. *Nisi fuerit obedientia præmissa devotio, gratie vilescit oblatio*; atqui, si admisisset ad initium fidei, & antè consensus voluntatis gratiam interiori qualecumque collatam intrinsecè voluntati, jam initium fidei non esset ex nobis, sed ex Deo & gratia; non sequeretur obedientiam nostram, sed obedientia gratiam: ergo. Prob. Min. Gratia actualis interior, qualiscumque sit, collata intus voluntati eam moveret, & aliquid in ea operatur, scilicet potius motus & affectus; cum enim sit motio Dei, non est motio moventis sine motu mobilis, ut dictum est; atqui illi pii motus, & affectus sunt initia conversionis & salutis: ergo.

Prob. 2. Concipi non potest gratia actualis in voluntate recepta, quæ sit indifferens, & pendula ab ejus nutu, qualem defensores opinionis Jansenii dicunt Semi-Pelagianos admisisse: ergo. Prob. Ant. Omnis actualis gratia voluntati intrinsecè, cum sit, ut iterum repetam, motio, & motio ad bonum, voluntatem determinatè movet ad bonum, sique non est indifferens, & determinabilis a voluntate, sed e contra ex sua essentiali ratione est determinans voluntatem: ergo.

Equidem, ut rectè observat laudatus P. Goudin, si concipiamus Deum offerre solum gratiam actualem voluntati ad actum ejus cooperativam, & expectare, ut ei cooperari velimus, tunc aliquam in gratia indifferenciam, & suspensionem ad voluntatis nutum intelligimus; sed si concipiamus Deum antè consensus nostrum jam aliquem gratie motum impressisse voluntati, impossibile est hunc motum indifferenciam & suspensum intelligere, cum sit actualis tendentia ad bonum, cujus effectus formalis est voluntatem actu inclinatum ad istud bonum constituere: nisi forte quis diceret, istud auxilium non consistere in aliquo motu voluntati a Deo impresso, sed in aliqua habituali qualitate, qua uti vel non uti possumus, quæque sic ex nostro nutu suspendatur. Verùm præterquam quod id in mentem Semi-Pelagianorum venisse non facile persuaderetur; hoc auxilium foret impertinens ad propositum, cum non pertinere ad gratiam actualem, de qua hic quærimus, qualem admiserint Semi-Pelagiani ad initium fidei, sed ad habitualem.

Adde, quod hic noster dicitur modus sit magis conformis decisioni SS. Pontificis, damnantis quartam propositionem Jansenii, de qua supra.

Dico 2. Semi-Pelagiani, saltem ii qui initium fidei reponant in sola acceptione, seu consensu gratie, non in actibus formatis initialibus & præambulis, de quibus supra, ad illos actus formatos admiserunt gratiam cooperativam, quæ ut oblatæ præveniret omnem voluntatis consensus, sequeretur autem, ut collata, quatenus nempe a Deo offerebatur, atrequam homo quidquam ex parte sua poneret, ut tamen reipsa cum eo cooperaretur ad illos initiales actus, ejus consensus, & determinationem expectabat, non ipsa dabat.

Prob. 1. ex his Prosperii verbis in Ep. ad Aug. *Nec considerant, se gratiam Dei, quam comitem, non præviam, humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præveniat.* Ubi vides, Semi-Pelagianos admittere gratiam simul, & prævenientem omnem actus, & comitantem omnia merita, & voluntati tamen subditam. Quæ omnia non possunt competere gratie nisi in sensu conclusionis, ita ut oblatæ sit præveniens, conferenda subdita voluntati, adeoque eam consequens, cooperans tandem illi, qui ex seipsis volunt agere illos actus initiales, quibus ulteriorem ad perfectiores actus gratiam merentur. Quod totum his duobus verbis jam citatis expressit Faustus l. 2. de Grat. & lib. arbit. c. 9. dicens: *Nisi fuerit obedientia præmissa devotio, gratie vilescit oblatio.* Ubi iterum vides, gratiam asseri omnibus esse prius offerentem, sed tamen nihil agentem, nisi obedientia, hoc est consensus voluntatis, processerit.

Prob. 2. ex eodem Prospero, supra laudatis verbis testante non omnes Semi-Pelagianos docuisse hominem per solam facultatem naturalem posse querere, petere, & pulsare; sed hanc fuisse propriam quorundam sententiam, a Pelagianis semitis non recedentium: *Quidam horum in tantum a Pelagianis semitis non declinant*, &c. ut supra antè primam conclusionem: ergo alii, a Pelagio remotiores, etiam ad illos initiales

actus gratiam auxiliantem requirebant, gratiam, inquam, non quæ voluntatem ad illos actus determinaret, alioquin non fuisset subdita voluntati, sed quam voluntas sibi subjecerit, sique exigebat ad initium fidei gratiam, quæ ut oblatæ prior esset ipso consensu voluntatis, posterior verò ut collatæ & intrinsecè recepta.

Prob. 3. Non majores vires tribuebant homini lapsa, quam innocenti; atqui continebantur, hominem innocentem ad quemvis actum bonum, adeoque ad querendum, pulsandum, petendum indignis auxilio Dei, solumque voluntati ejus reservabant velle cooperari gratie oblate: ergo sic a fortiori in natura lapsa. Unde inquebant, ut refert Hilarius: *In hoc solo a primo homine omnium distare naturam, ut illum integris virtutibus voluntatis jure gratia volentem, sine qua perseverare non poterat: hos autem, amissis & perditis virtutibus, credentes tantum* (id est, se illi committere volentes) *non solum erigat prostratos, verum etiam suffulcat ambulantes.* Confirmatur ex Fausto, l. 1. c. 5. fatente juxta Catholicam Regulam opera legis evacuari, id est, nullius esse ad salutem momenti, & quæ hinc per gratiam asseri: ergo actus præambulis, quibus gratiam salutis merebantur, non erant sine gratia. Constatimque insuper ex objectionibus sequentibus.

Obj. contra 1. Conclusionem 1. illud Aug. de Prædest. Sanct. c. 1. *Pervenirent isti fratres, ut præveniri voluntates hominum Dei gratia farentur, atque ad nullum opus bonum vel incipiendum, vel perficiendum sibi quemquam sufficere posse consentiant:* ergo gratiam interiori prævenientem voluntati collatam ad initium salutis admiserunt. 2. Gennadius, & Cassianus locis supra cit. fatentur, Deum initia sanctæ voluntatis inspirare, per inspirationes bonas nos prævenire, & ob id initium salutis Deo esse adscribendum. 3. Non magis arrogabant homini lapsa ad resurgendum, quam homini innocenti ad standum: sed in statu innocenti admittebant prævenientem gratiam intrinsecè collatam, nempe auxilium sine quo: ergo. R. ad 1. ex illo aperte quidem probari Conclusionem secundam, non verò negari primam. Sensus enim est, quod Semi-Pelagiani admittent necessitatem gratie cooperantis, nedum ad actus perfectos, sed etiam ad initiales & præambulos, eamque gratiam prævenire voluntates nostras, non ut collatam, sed ut oblatam, non quæ voluntatem sibi subjecerit & determinaret, sed quæ voluntati subjeceretur, ut cujus nempe expectabat consensus, non quem dabat. Eo enim sensu Aug. dicit, Semi-Pelagianos docere voluntates nostras a gratia præveniri, quo id acceperat a Prospero, cui respondet: Prosper autem non dixerat eos admittere gratiam absolutè prævenientem, sed comitem & subditam voluntatibus hominum, quas tamen ad ea gratia non negabant secundum suam phantasiam esse prævenitiam. R. ad 2. Gennadium & Cassianum nomine inspirationis non intelligere gratiam voluntati collatam, sed solum gratiam moralem intellectus illuminativam, & voluntatis objective motivam, proit explicuimus supra. R. ad 3. per auxilium sine quo intelligi gratiam cooperantem, nec necesse est, ut intelligatur per illud gratia præveniens, nisi ut oblatæ; alias jam pertineret ad auxilium quo, ut probavimus in 1. Conclusionem.

Obj. 4. contra 2. Conclusionem. Semi-Pelagiani initium fidei, uti petere, querere, pulsare, solis naturæ viribus tribuebant: ergo ad illos actus gratie cooperantis necessitatem non agnoscebant. R. D. Ant. Semi-Pelagiani quidam Pelagio viciniores, &c. C. Ant. Omnes, N. Fatemur ergo, eos, qui in his actibus præambulis initium fidei reponant, admisisse illos actus solis naturæ viribus seclusa gratia cooperante. At, cum pressius urgerentur argumentis Catholicorum, quidam a Pelagio remotiores concedebant nullum opus bonum divine gratie esse subtrahendum, idque solum humano arbitrio reservabant, quod divine gratie ex se consentiret, vel dissentiret, vellet vel non vellet obedire; & hi in hoc consensu, & obedientia reponant initium fidei, ut dictum est.

Inst. Semi-Pelagiani minus gratie admittebant ad illos initiales actus, quam ad perfectos; atqui ad perfectos non admittebant nisi cooperantem gratiam, nunquam enim præoperantem proprie admiserunt: ergo. R. D. Maj. Semi-Pelagiani quidam Pelagio viciniores, &c. C. Semi-Pelagiani a Pelagio remotiores, &c. N. Hi enim, cum in his actibus non reponerent initium fidei, & ad omne opus bonum gratiam requirerent, ad illos actus uti ad perfectiores gratie cooperantis necessitatem agnoscebant.

Repones: Plerique Theologi Catholici tunc ad initium fidei, tum ad cætera pietatis opera, non aliam actualem requirunt gratiam, quam moralem prævenientem & excitantem, & physicam cooperantem. Ajunt enim auxilium gratie in eo esse, quod Deus per morales gratias ad bonum non excitet, simulque cooperativum auxilium offerat expectans nostrum consensus, ut actum bonum nobiscum operetur: ergo, si hæc fuerit Semi-Pelagianorum sententia, vel non fuerint in hoc Hæ-

retici, vel illi Theologi cum istis forent Hæretici, quorum neutrum esse admittendum. R. N. Conseq. Quia Theologi memorati in argumento admittunt consensum nostrum esse a Deo, & voluntates nostras prævenire, non solum per gratias morales illustrantes intellectum, sed etiam per pios affectus voluntati impressos, siquæ referunt efficaciam gratiæ, inferamus eos aliquod salutis initium Deo subtrahere, tamèn ex sua sententia sequi negant, & ideo non sunt Semi-Pelagianis accensendi.

CONSECTARIUM.

In quo summam exponitur tota hæresis Semi-Pelagiana.

EX dictis itaque intelliges, saltèm in quantum res tam obscura intelligi potest, in quo præcisè reponenda sit hæresis Semi-Pelagiana. Agnoscebant, hominem per peccatum originale esse spoliatum donis gratiæ, ejusque vires ita esse imminutas, ut sine gratia amissam salutem recuperare non posset, non tamèn ita esse profligatas, ut ex suo fundo aliquid salutem, quod esset ejus initium, conferre non posset. Quod initium aliqui Pelagio viciniore reponebant in aliquibus actibus formati, ut in actu credendi, desiderandi, petendi, querendi gratiam & salutem. Alii, argumentis Catholicorum convicti, omne opus bonum esse a Deo, illud initium restringebant ad consensum gratiæ, quam Deus unicuique offerbat actus boni cooperativam; & ex illo qualicumque initio, & in eo perseverantia repetebant discretionem Electorum a Reprobis, & cur uni præ alio daretur gratia, & in fine gloria.

Ad hanc autem doctrinam tuendam adhibebant scientiam futurorum conditionatorum, quæ deinde dicta est scientia media. Cum enim juxta illos consensum nostrum ad bonum Deus non daret, sed a nobis expectaret, neque ullus possit esse salvus, qui gratiæ non esset consensus, & in ea perseveraturus, ut Deus ex tota æternitate posset elegisse aliquos præ aliis ad gratiam & gloriam, necesse erat, ut prævidisset illos præ aliis consensuros, in eo consensu usque in finem perseveraturos, supposito quod gratiam omnibus æqualiter offerret. Hæc verò hypothetica humani consensu præscientia est ipsissima scientia media, qua ita abutebantur, ut, cum urgerentur exemplo parvulorum, quibus Deus absque prævisione meritum gratiam Baptismi confert, & in ea perseverantiam, eos statim post Baptismum e vita eripiendo: itèm Infidelium, quorum aliquibus providet, aliis denegat prædicationem Evangelii; responderent, his parvulis conferri Baptismum antè mortem, qui si diutius vixissent, prævidebantur futuri boni; & his præ aliis prædicari Evangelium, qui prævidebantur credituri.

Itaque non errant Semi-Pelagiani, quod dicent Deum velle omnium salutem, & omnibus gratiam offerre; ita enim tenet major, & sanior pars Theologorum. Itèm nec quod dicent talem esse gratiam, cui posset resistere, vel obtemperare voluntas; sic enim catholicè tenendum est juxta definitionem Concilii Trid. & Decreta SS. Pontificum. Itèm non omnes erant Hæretici, quod vellent aliquem actum salutis per solas naturæ vires posse elici; quia, licet hoc sit hæreticum, non tamèn omnes ita sentiebant, sed erant quidam, qui cum agnoscerent nullum actum pietatis esse sine gratia, profitebantur sibi sufficere, si aliquod initium salutis, qualecumque foret, reservaretur arbitrio.

Hæc ergo fuit ultima hujus hæresis statio, sic nostrum esse gratiæ consentire, vel dissentire, ut in iis qui consentiunt, consensus ille non sit a gratia Dei, sed a nobis; atque hoc sensu initium salutis, & perseverantiam subtraherent gratiæ, & reservabant libero arbitrio. A qua proinde hæresi, qui recedere volunt, necesse est, ut nihil prorsus operi, & dignationi gratiæ subtrahant, ut definitur in Capitulis Coelestini circa finem, sed cum Aug. & Conc. Arausicano confiteantur in negotio salutis totum esse Deo tributandum, neque illum expectare consensum nostrum, ut a peccato purgari, credere, & benè agere velimus, sed ipsum in nobis operari, ut velimus & consentiamus. Non pauca ex hinc usque dictis circa utramque conclusionem accepta referimus sæpè laudato P. Antonio Goudin, cujus sententia eo magis nobis arrisit, quod sit quasi media inter extremas.

Petes, quam vim merendi gratiam tribuerent Semi-Pelagiani initio fidei? R. Tribuisse dumtaxat vim merendi ex congruo, non ex condigno, imò tanquam ex occasione tantum. Patet ex Fausto, qui, ut refert Gennadius in ejus vita, dicere solebat quiddam libertas arbitrii pro labore pie mercedis acquirert, non esse propriè meritum: & ex Cassiano, qui libr. Collat. c. 14. dicit: Præstitit est Deus ex occasione tantummodo nostræ voluntatis oblatæ ad hæc omnia conferenda. Confer, quæ dixi in Tract. de Deo Dissert. 6. art. 6. §. 6. circa inconvenientia scientiæ mediæ, septimo inconvenienti.

ARTICULUS III.

De Bajanismo, & Jansenismo.

Foret hic locus agendi de Prædestinationismo, Lutheranismò, & Calvinismo; sed de Prædestinationismo egimus in Tract. de Deo Digress. ad Dissert. 9. de Lutheranismò & Calvinismo ibid. Dissert. 8. art. 8. §. 4. Vide.

§. I. Synopsis historica Bajanismi.

I. Bajus, natus Melini in Territorio Atheniensi ann. 1573. Doctorali Laurea Lovanii insignitus 1590. ad Concilium Trid. a Philippo 2. Hispaniarum Rege missus ann. 1563. multa scripsit, in pluribus erroneè. Anno 1567. S. Pius V. Bulla *Ex omnibus afflictionibus* 76. propositiones damnavit, tacito nomine Baji, tum ne inde Bajus exasperaretur, & ut ejus fama consuleretur; tum quia non omnes propositiones sunt Baji, quamvis omnes vultu dicantur Bajanæ. Eodem anno Morillonius Vicarius Generalis Cardinalis Granvellani Archiepiscopi Mechliniensis hanc Bullam legit, & promulgavit coram stricta Facultate Theologica Lovaniensi. Doctores congregati obedientiam sponderunt Bullæ, cujus Exemplar petere, sed denegavit Morillonius; quia id erat ipsi prohibitum, eò quod SS. Pontifex speraret, absque ulteriori Bullæ divulgatione dissidium brevi componendum. Anno 1569. Bajus dedit Literas SS. Pontifici, quibus conqueritur se nullum Bullæ transumptum potuisse obtinere: simul Apologiam misit, in qua exponit plures propositiones damnatas sibi falsò imponi, & eas ad mentem S. Aug. esse veras. SS. Pontifex Apologia, & propositionibus novo examine discussis rescripsit Bajo esse obediendum, ipsique & cæteris prædicatorum propositionum Defensoribus perpetuum pro earum assertionem silentium imposuit. Breve Apostolicum Morillonius Bajo reddidit, qui post aliquas instantias propositiones ejuravit.

II. Anno 1579. cum nonnulli has propositiones progugnare pergerent, Gregorius XIII. S. Pii V. Successor Constitutione *Provisionis nostræ* Bullam Pianam confirmavit, jubendo eam recipi, & denudè propositiones damnavit, missa Lovanium Francisco Toletio Soc. Jesu tunc Concionatore Pontificio, postea S. Romanæ Ecclesiæ Cardinali, qui in numerosissimo totius Academiæ consensu jussit Bullam per Conradum Sylvium Universitatis Notarium legi; quo facto conversus ad Michaëlem Bajum, petit ab eo: *anne agnosceret damnari in Bulla multos articulos, qui in aliquo ejus libellis prius editis continerentur, etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur?* Quo agnoscente & credente, quod sic, rogavit eum deinde: *Anne eosdem & reliquos ibi contentos damnaret?* Tum ille: *Damnari, inquit, secundum Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla damnat.* Deinde præfatus Dominus Franciscus ad reliquos Doctores conversus interrogavit, anne eosdem articulos omnes damnarent, & Bullam reverenter susciperent? Qui uno ore omnes responderunt se eos articulos damnare & Bullam religiosè habituros, atque observaturos. Eadem fuit Responsio Licentiariorum, Baccalauriorum, & Studiosorum, onnesque consona voce conclamarunt: *Articulos damnamus, Bullam reverenter suscipimus, atque obedientiam pollicemur.* Ita referunt Fasti Academici Lovanienses. Fertur Cardinalem Toletum ea occasione dixisse, & sæptis iterasse: *Magis humilem Michaëlem Bajo ac doctorem vidi neminem.* Tandem, cum occasione Libri Jansenii quidam plures propositiones Bajanæ iterum defenderent, Urbanus VIII. Bulla *In eminenti*, data 1641. confirmavit Pianam & Gregorianam, *Librumque Jansenii, cui Titulus Augustinus, articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, atque damnatas, continentem & renovantem damnat & prohibet.* Non nihil tentarunt Baji, & Jansenii fautores, ut harum Bullarum auctoritatem infringerent, tum ex parte horum, tum ex parte materis.

III. Quantum ad formam opponunt, Bullam Pianam vim legis habere non posse: 1. Quia non fuit lata de consilio Cardinalium. 2. Quia Pius V. non loquitur ut caput Ecclesiæ ad instructionem omnium Fidelium. 3. Quia non fuit more solito Romæ affixa & promulgata. 4. Quia interdicit quibuscumque quoquo pacto loquendi, scribendi, disputandi (de propositionibus damnatis) facultatem, ita ut nemo possit loqui de Gratia, de Peccato Originali, &c. quod est absurdum. 5. Quia vagus ille & indeterminate modus dammandi propositiones in globo, magis est fidelibus noxius, quam utilis, cum inde non possit discerni, quæ sit falsa, quæ hæretica, quæ temeraria tantum, aut scandalosa. 6. Pro Gallis; quia ista Bulla non fuerunt in Gallia forma solita receptæ & promulgatæ, quod multa contineant contraria moribus, & libertatibus Gallorum: ergo. R. ad 1. N. Ant. tanquam gratis fictum, Unde enim illud

rescitur opponentes? Et sanè, si SS. Pontifex adhibuerit Consultores Theologos, ut patet, cum dicit Baji propositiones *stricto coram se examine ponderatas*, indubium est ipsum etiam adhibuisse Cardinales, ut moris est. Ad 2. N. pariter Ant. Dicit enim S. Pius in Proemio Bullæ: *Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco a Domino constituit tam luctuoso tempore sustinimus.* Hæc sanè verba non sunt hominis privati, sed communis Ecclesiæ Pastoris. Insupèr prohibet universim omnibus has propositiones defendere: ergo loquitur ad instructionem omnium fidelium. Ad 3. Equidem Bulla Pianæ non fuit Romæ affixa & promulgata, quia cupiebat optimus Pontifex hoc dissidium in ortu suo sedare, & silentio involvere. Cæterum hæc Bulla postmodum per Gregorium XIII. & Urbanum VIII. sufficienter fuit promulgata. Ad 4. Sensus horum verborum, nisi ineptissimam absurditatem SS. Pontifici affingere velis, est, quod nemo scribat, aut loquatur de istis propositionibus animo eas defendendi. Ad 5. 1. Sufficit fidelibus, ut a certis propositionibus tuendis abstineant, scire eas aliquo pernicioso vitio laborare, quamvis cujus generis sit vitium, ignoret: sicut cuique sufficit, ut a certis dapibus abstineat, scire eas esse veneno infectas, quamvis qualitatem veneni ignoret. Exigit autem dumtaxat Ecclesia, ut fideles ab his propositionibus tuendis abstineant, non ut discernant, quæ sit hæretica, quæ falsa, quæ temeraria, quæ scandalosa. 2. Iste modus condemnandi plures propositiones in globo a pluribus sæculis viget in Ecclesia. Illum usurpavit Conc. Constantiense, condemnans in globo 45. propositiones Wiclefi, & 30. propositiones Joannis Hus. Hunc eundem modum postea secuti sunt SS. Pontifices Sixtus IV. contra Petrum de Osma, Leo X. adversus Lutherum, Pius V. Gregorius XIII. Urbanus VIII. Alexander VII. Innocentius XI. Alexander VIII. Innocentius XII. Clemens XI. Id profectò intolerabile est, quod Janseniani avidè, & cum applausu recipient Bullas condemnantes in globo propositiones laxiores, & detrectent alias pars formæ, quia ipsis non favent. Ad 6. multis momentis probat Honor. Tournely §. *Auctoritas Bullarum*, has Bullas Pontificias & alias dogmaticas esse receptas in Gallia quantum ad doctrinam, licet non quoad formam, certasque clausulas, quæ moribus Gallicanis repugnant. Vide, si lubet.

IV. Quantum ad materiam opponunt 1. Pium V. in Bulla declarasse, *Nonnullas propositiones aliquo pacto sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento.* 2. Graves Theologi, Suarez, Vasquez, Toletus, Bellarminus, & alii docent, quodam ex his propositionibus esse damnatas tantum propter acerbiter sensuræ, quia Bajus notabat sententiam oppositam, adeoque solus ut temerarias, aut scandalosas, aut offensivas, non ut falsas, aut hæreticas. R. ad 1. veritatem, aut falsitatem illius pendere ex positione virgulæ in textu Bullæ, de qua positione gravis est concertatio inter Auctores. Is est textus Bullæ: *Quas quidem sententias, stricto coram nobis examine ponderatas, quantum nonnullæ aliquo pacto sustineri possunt in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento, hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in piis aures offensionem immittentes, respectivè... damnamus.* Quidam ergo volunt virgulam esse ponendam tantum post *Intento*: ita ut sensus sit, qui obicitur, scilicet nonnullas propositiones posse sustineri in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Alii volunt virgulam esse ponendam post *Possunt*: ita ut sensus sit, nonnullas propositiones posse aliquo pacto sustineri, esse tamèn damnatas in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Magis ad mentem Pontificis videntur loqui, qui ponunt virgulam post verbum *Possunt*, propositiones esse damnatas in rigore, & proprio verborum sensu ab assertoribus intento: quia hæc est Ecclesiæ praxis, dum propositiones ex aliquibus libris extractas damnat, eas damnare in sensu Auctoris, & libri, & ita suas esse damnatas agnovit ipse Bajus, dum anno 1579. Toletum ipsum interrogante in conventu Academicæ, *An ne agnosceret damnari in Bulla multos articulos, qui in aliquo ejus libellis continerentur, etiam in eo sensu, quo in Bulla damnarentur?* Respondit, quod sic. Quod testimonium, cum sit posterius variis aliis testimoniis, quæ in contrarium profertur ex Cardinali Granvellano, ex Morillonio, ex actis Academicis, & aliundè horum auctoritatem, si non omnino elevat, saltèm non parum imminuit. Qui plura videre cupit de hac controversia, adeat pro una parte Eriticum amoris, Prolegomeno 6. §. 7. pro altera Honor. Tournely. R. 2. dato virgulam collocandam post *Intento*, & nonnullas propositiones posse sustineri in sensu ab Auctoribus intento, sunt nihilominus jure damnatae propter alium pravum sensum, quem habent; non enim est rarum ut propositioni inesse multiplicem sensum proprium & litteralem, quorum unus sit verus, rectus, defensibilis, alter falsus, seu ex alio capite pravus, & condemnabilis.

Ad 2. R. justissimè prohiberi, damnari propositiones scan-

dalos, temerarias, offensivas, licet aliundè veras. Sic Synodus quinta Generalis prohibuit, ne B. Virgo diceretur Christipara, sed Deipara; non ob falsitatem prioris vocis, sed quia plures ea ostendebantur ob Hæresim Nestorianam. Sic ob eandem rationem Ecclesia proscripsit hanc propositionem aliundè veram, *Unus de Trinitate crucifixus est*, ne acciperetur in sensu Euty-chianorum: sic quotidie prohibentur libri, non quod falsam doctrinam contineant, sed vel ob acrimoniam styli, vel ob insolitos, & novos loquendi modos, vel ob scandalum infirmorum, &c. Equidem veritas per se, & ratione sui nunquam est offensiva, aut scandalosa, sed ita esse potest per accidens ratione circumstantiarum, expressionumve duriorum & insolitarum. Et ideo malè inferes, quod, si Ecclesia damnet propositionem veram, doceat errorem oppositum: id equidem sequeretur, si damnet propositionem veram ratione sui & quoad se; secus vero, si eam damnet ob incongruum modum veritatem exprimentis, aut propter quasdam circumstantias extrinsecas; tunc enim non docet errorem oppositum, sed dumtaxat modum congruum veritatem exprimentis.

Petes, cum juxta Bullam Pianam nonnullæ propositiones Bajanæ aliquo pacto, & sensu sustineri possint, unde possit cognosci, & discerni sensus damnatus a non damnato? Non enim potest extendi ex ipsis Auctorum libris, cum nullus Auctorum præter Bajum dignoscatur, atque illius & aliorum libros prohibuerit SS. Pontifex. R. dignoscendum esse ex ipsis propositionibus, prout in Bulla contentis, vel secundum se consideratis, si sic sensum in Ecclesia peregrinum exprimunt; vel consideratis respectivè ad invicem, si sic sensum ab Ecclesiæ sensu alienum referunt.

§. II. Synopsis historica Jansenismi.

Jansenius ann. 1585. ex honestis, catholicisque Parentibus in Territorio Laërdamensi apud Batavos nascitur. Post humaniores literas Ultrajecti exceptas, Lovanii operam dedit Philosophiæ, in eaque cæteris quatuor Collegiorum discipulis palmam præripuit. Emenso Theologiæ cursu, Parisiis se contulit, ubi Abbas Sancyranus, quocum Lovanii amicitiis contraxerat, ope, & favore Collegii Bajonensis Primarius instituit. Post 12. annos Lovanium rediit, Collegio S. Pulcherræ præfuit, ann. 1617. hurea doctorali donatur, subinde bis in Hispaniam missus ab Academia, commissa sibi negotia feliciter gessit. Anno 1630. Professor Regius instituitur. Anno 1635. Episcopus Iprensis consecratur. Anno 1638. die 6. Maii peste extinguitur.

II. Quantum ad illius mores & animi dotes, vir fuit juxta illius vitæ Scriptores, pietate, religione in Deum, vita modesta, morumque disciplina, comitate atque affabilitate, sed maxime prudentia conspicuus. Ingenium illi fuit acerrimum, judicium gravissimum, memoriâ capaxissima, quibus naturæ dotibus accesserat studium diu noctuque infatigabile, & veritatis immensus amor, quam tamèn, Ecclesiæ judicæ, non fuit assuetus. Omnia Aug. opera decies, libros verò de gratia divina, & libero arbitrio plusquam trigesisis a capite ad calcem evoluerat. Scripsit orationem de interiori hominis reformatione. Alexipharmacum Civibus Sylvæ-ducensibus propinatam adversus Ministrorum suorum Fascinum. Spongiam notarum, quibus Alexipharmacum aspergit Gibs. Voëtius. Libellum, cui titulus *Mors Gallicus*, sub ficto nomine Alexandri Patricii Armachani Theologi contra Reges Galliæ, & Gentem, Commentaria in Pentateuchum, in 4. Evangelia, & in Proverbia. Tandem famosum opus, quod inscripsit *Augustinus*, quia condebat se in eo veram, & puram Aug. doctrinam attigisse & docere. Huic operi per 20. annos insudavit, eique moriens ultimam manum adhibuit. Illud testamentum legavit Cappellano suo, ut typis mandari curaret, re prius communicata cum Liberto Fromondo, & Henrico Caleno. Et quamvis in suo testamento agnoscat aliquid in opere difficultè mutari posse: *Si tamèn, inquit, Romana sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum:* Idem testatus fuerat c. 29. libr. proemialis, & in Epitogo totius operis. Hanc ejus obedientiam si imitati fuissent doctrinæ illius Sæcutores, tot turbæ a sæculo Galliam, & Belgium non commovissent.

III. Statim ac lucem aspexit Jansenii liber, prohibitus fuit ab Urbano VIII. Bulla *In eminenti* data 1641. duabus de causis 1. Quia contra Pauli V. Decretum tractabat de auxiliis gratiæ. 2. Quia continebat plures propositiones a S. Pio V. & Greg. XIII. damnatas in Bajo. Hanc Bullam Lovaniensium dixerunt Defensores Jansenii, missis Romam a Lovaniensibus Sinnichio & Paplo, qui ejus revocationem urgerent: sed iis auditis in Sacra Congregatione universalis Inquisitionis, Sanctitas sua jussit Bullam extrahi ex Archivio S. Congregationis, & hujus transumptum cum archetypo collatum tradi Sinnichio

chio & Papiro, eis simul injungens silentium super dubitationibus, difficultatibus, & querelis occasione hujus Bullæ excitatis, aut excitandis. Diu postea, ann. scilicet 1690. Alexander VIII. damnavit hanc propositionem: *Bulle Urbani VIII. In eminenti, est subreptitia.* Non fuit autem hæc Bulla solemniter promulgata in Belgio, obstantibus Jansenistarum motionibus, nisi ann. 1648. instante apud Regem Catholicum & Archiducem Leopoldum Innocentio X. Urbani Successore.

IV. Interea dimicabant in Gallia Isaacus Habertus Doctor Sorbonicus contra Jansenium, & Antonius Arnauldus pro Jansenio. Anno 1649. instante D. Cornet Facultatis Parisiensis Syndico, delatæ sunt ad examen Facultatis 7. propositiones, a quibus duabus ultimis recessis, & neglectis remanserunt quinque famose, scilicet. 1. Aliqua Dei præcepta hominibus jussu volentibus, & conantibus secundum præsentem quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiunt. 2. Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur. 3. Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione. 4. Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici. 4. Episcopus in subscriptione, quæ continetur in actis verbalibus Synodorum Diocæsanarum, inseruisse eandem distinctionem, & exceptionem Juris & Facti; qua non obstante, nec Pontifici incognita, ipse tamèn pacem cum illis inerat, & inde dicta est Pax Clementis IX. Verùm, esto in actis verbalibus secretis contineri restrictionem, seu exceptionem Facti, certum est eam SS. Pontifici non innotuisse, & ipsum existimasse dictos Episcopos sine ulla exceptione subscripsisse. Id constat 1. ex Literis istorum Episcoporum & Mediatorum ad SS. Pontificem, de quibus supra. 2. Ex ipsius Clementis Brevis, dato 1668. Regi Christianissimo, in quo dicit, *se cum lætitia cognovisse in simplici & pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam.* 3. Ex altero Brevis ejusdem Pontificis ad Episcopos, pacis Mediatores, 19. Januarii 1669. ubi dicit SS. Pontifex, *Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex literis Fratrum vestrarum... de perfecta, & integra obedientia nobis, & Apostolicæ Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Alecensem subscriptione Formularum sincero animo, & juxta præscriptum Literarum Apostolicarum ab eis facta.* Item ex altero Brevis ejusdem Clementis XI. ad 4. Episcopos prædicto eodem die & anno dato, in quo dicit: *Cum ingenti obsequio, nobis & huic S. Sedi per vos debiti, testatione significabatis, vos juxta præscriptum Literarum Apostolicarum... sincere subscripsisse & subscribi fecisse Formularium... Nam, Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè inherentes, nullam circa illud exceptionem, aut restrictionem admitturi unquam fuistis.* Quid expressius? 4. Tandem ex Bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabbathi*, data anno 1705. in qua SS. Pontifex graviter reprehendit eos, qui Clementis IX. Literas in erroris sui patrocinium advocare temerario planè ausu non erubescunt... perinde ac si memoratus Clemens prædecessor... aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem: quam nullam prorsus se unquam admitturum protestatus fuit, respiciat admittisse.

Anno 1640. 85. Episcopi Gallicani has 5. propositiones Jansenii deferunt Innocentio X. condemnandas. Obstant ex adverso 11. Episcopi. Epistolam 85. Episcoporum reddit Innocentio X. 12. Aprilis 1651. Orator Regis Christianissimi. Alteram 11. Episcoporum reddidit Ludovicus de Saint amour Doctor Sorbonicus. Congregationem instituit ad examen 5. propositionum, adveniant eodem anno Romam missi ab aliquot Episcopis DD. De Brousse, De la Lane, Doctores Parisienses, & Angran Licentiatas pro iis tuendis. Ex altera parte pro promovenda earum condemnatione accedunt DD. Hallier, Laugaut, & Joysel.

In 1. Congregatione SS. Pontifex Innocentius X. palam declaravit, se nolle ullum præjudicium inferri doctrinæ SS. Aug. & Thom. Post celebratas duorum annorum spatium 36. Congregationes, in quibus causa Jansenii ea diligentia, qua major desiderari non possit (ut dixit postea Alexander VII.) discussa est, tandem Innocentius X. die 31. Maii 1655. edidit Constitutionem *Cum occasione* in qua 5. propositiones, unamquamque speciali Censura notatam condemnat.

Primum, declarat, esse temerariam, impiam, blasphemam, anathematè damnatam & hæreticam; & uti talem damnat, decondam, ut hæreticam. Tertiam, item ut hæreticam. Quartam, falsam & hæreticam. Quintam, falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute dumtaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declarat; & uti talem damnat.

V. Haec Constitutionem jussit Rex Christianissimus in suo Regno promulgari; & Episcopi Parisienses congregati eodem anno eam acceptarunt. Verùm, ut eam eluderent Janseniani, duo commentii sunt effugia: Primum, has 5. propositiones non esse Jansenii; Alterum, damnatas esse in sensu, a sensu Jansenii alieno; & hinc origo famose distinctionis juris & facti. Anno 1656. Alexander VII. Innocentii Successor, dedit alteram Bullam, in qua declarat 3. propositiones *Ex libro Jansenii excerptas, & in sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse*; & uti tales iterum damnat. Hæc Constitutio fuit solemniter recepta ab Episcopis Gallicanis ann. 1657. Anno 1661. eodem Præsules exposuerunt per litteras Alexandro VII. se ad firmiorem Constitutionum Apostolicarum executionem adhibuisse tum formulæ subscribende, cui subscribere multi recusabant, eo prætextu quod hujusmodi formulas condere ad SS. Pontificem privativè pertinet: quapropter rogabant, ut hujusmodi formulam mittere dignaretur. Annuit Alexander VII. data ann. 1665. nova Constitutione, *Regimini Apostolice*, in qua hæc fidei formula ab omnibus, & singulis Clericis subscribenda continetur: *ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ 31. Maii, anno 1653. & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris, anno 1656. SS. Pontificem, me subditio, & 5. propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, proinde illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio ac damno; & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Huic autem formulæ subscribendi auctoritatè Pontificæ accessit mandatum Regium. Hac subscriptione coactari Jansenistæ duo distinxerunt in formula, nempe jus, seu doctrinam contentam in 5. propositionibus, & factum scilicet attributionem hujus doctrinæ libro Jansenii. Quantum

ad 1. profitebantur se sincerè damnare in quinque propositionibus sensum erroneum, quem Ecclesia damnare voluit; & quantum ad hoc se paratos esse subscribere Formulæ. Quantum autem ad 2. divisi fuere: quidam Rigidiore contendebant nullo modo posse subscribi: alii remissionem opinabantur posse subscribi adhibitis quibusdam restrictionibus, seu cautionibus.

VI. Quatuor Episcopi Gallicani, Andegavensis, Bellovacensis, Apamiensis, & Alecensis in suis publicis mandatis pro subscriptione Formularii distinxerunt jus & factum: juri assensum fidei, facto silentii reverentiam tantum deberi dixerunt. Sed inde offensæ SS. Pontifici & Rege Christianissimo, alteram Formularii subscriptionem suis Diocæsanis jusserunt, & Clementi IX. Alexandri Successori per litteras testati sunt se *Sincerè, & absquæ ulla restrictione* Formularii Alexandri VII. subscripsisse. Idem testati sunt eidem Clementi IX. 3. Episcopi, Cardinalis Estrens Laudunensis, Senonensis, & Catalaunensis, pacis inter 4. dictos Episcopos & SS. Pontificem Mediatores: cujus narrationis veritate supposita, Clemens IX. Litteras gratulatorias dedit 4. Episcopis ann. 1669. Hac Pontifici cum 4. Episcopis reconciliatione abusi sunt Janseniani in patrocinium sui obsequiosi silentii: dixerunt namque, laudatos 4. Episcopos in subscriptione, quæ continetur in actis verbalibus Synodorum Diocæsanarum, inseruisse eandem distinctionem, & exceptionem Juris & Facti; qua non obstante, nec Pontifici incognita, ipse tamèn pacem cum illis inerat, & inde dicta est Pax Clementis IX. Verùm, esto in actis verbalibus secretis contineri restrictionem, seu exceptionem Facti, certum est eam SS. Pontifici non innotuisse, & ipsum existimasse dictos Episcopos sine ulla exceptione subscripsisse. Id constat 1. ex Literis istorum Episcoporum & Mediatorum ad SS. Pontificem, de quibus supra. 2. Ex ipsius Clementis Brevis, dato 1668. Regi Christianissimo, in quo dicit, *se cum lætitiæ cognovisse in simplici & pura subscriptione Formularii quatuor illorum Episcoporum obedientiam.* 3. Ex altero Brevis ejusdem Pontificis ad Episcopos, pacis Mediatores, 19. Januarii 1669. ubi dicit SS. Pontifex, *Non sine lætitiæ sensu pervidimus ex literis Fratrum vestrarum... de perfecta, & integra obedientia nobis, & Apostolicæ Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, Bellovacensem, Apamiensem, & Alecensem subscriptione Formularum sincero animo, & juxta præscriptum Literarum Apostolicarum ab eis facta.* Item ex altero Brevis ejusdem Clementis XI. ad 4. Episcopos prædicto eodem die & anno dato, in quo dicit: *Cum ingenti obsequio, nobis & huic S. Sedi per vos debiti, testatione significabatis, vos juxta præscriptum Literarum Apostolicarum... sincere subscripsisse & subscribi fecisse Formularium... Nam, Prædecessorum nostrorum Constitutionibus firmissimè inherentes, nullam circa illud exceptionem, aut restrictionem admitturi unquam fuistis.* Quid expressius? 4. Tandem ex Bulla Clementis XI. *Vineam Domini Sabbathi*, data anno 1705. in qua SS. Pontifex graviter reprehendit eos, qui Clementis IX. Literas in erroris sui patrocinium advocare temerario planè ausu non erubescunt... perinde ac si memoratus Clemens prædecessor... aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem: quam nullam prorsus se unquam admitturum protestatus fuit, respiciat admittisse.

VII. Cum nonnulli Episcopi Belgici ad majorem cautelam contra fraudes Jansenianorum quasdam ad additiones Formularii fecissent, eas Innocentius XII. Brevis dato 1694. ad Episcopos Belgii improbat & prohibuit, jussitque subscribendum esse Formulæ, & damnandas esse propositiones in sensu obvio, quem tam ipsius Formularii, quam propositionum verba præ se ferunt; injunctaque simul: *Ne ulla ratione quæcumque vaga ista accusatione & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari sine veri, nisi prius suspectum esse constituerit aliquam ex his propositionibus docuisse; aut tenuisse, nec quemquam sub hoc prætextu repellere ab officio, munus, Beneficium, Gratibus, & Concionibus habendis, vel aliâ quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato Juris ordine, eam panam, que viris alioquin Catholicis gravissima est, commoveri probatum fuerit.* Verùm, cum hæc hujus Brevis verba, in sensu obvio, quem verba præ se ferunt; in alienum sensum detorquebant Jansenistæ, quasi Pontifex exigeret tantum, ut propositiones in seipsis damnarentur in sensu obvio, quem earum verba præ se ferunt, nulla facta mentione, nec habito respectu ad sensum Jansenii, hunc vanum eorum Triumphum repressit idem Pontifex altero Brevis dato ad eosdem Belgii Episcopos ann. 1696. Neque eos juvant hæc voces, *præteritis Jansenistæ*, quibus utitur Pontifex in isto Brevis: non enim per illas intelligit fictos Jansenistas, ut quidam imaginantur, sed qui tales prætenduntur, id est, denunciantur & declarantur: distinguit enim ibi Pontifex inter Jansenistas internos & externos, quos utrosque *præteritis* appellat, & mandat, ut externi secundum rigorem Juris puniantur: ergo per *præteritis* non intelligit fictos, aut falsos.

VIII. Anno 1702. confictus est famosus casus conscientie, in quo quidam Clericus inducitur, cui absolute denegata fuit, quæ declaraverat se *revera 5. propositiones simpliciter, & absolute damnare, ac formulæ fidei Alexandri VIII. subscripsisse quidem, nihilominus quantum ad questionem facti, seu attributionem illarum 5. propositionum libro Jansenii, existimare se religiosum sufficere silentium.* Hic casus propositus fuit 40. Doctoribus Parisiensibus, qui hic verbis responderunt: *Doctores infra scripti, visa casus expositione, hujus Ecclesiastici viri sententiam nec vocam esse, nec singularem, nec ab Ecclesia damnatam, neque talem, ut Confessarius possit ipsi Sacramentalem denegare absolutionem, nisi eam retractaverit. Deliberatum in Sorbona die 20. Julii ann. 1702.* Hanc responsionem improbat, & proscripsit Clemens XI. Brevis dato anno 1703. ad Regem Christianissimum. Eandem eodem ann. damnavit Cardinalis Noallius Archiepiscopus Parisiensis. Idem præstiterunt plurimi Episcopi Gallicani. Hinc factum est, quod

omnes Doctores Parisienses, uno excepto, subscriptionem suam revocaverint. Postremo Clemens XI. solemnè illa *Vineam Domini Sabbathi*, data anno 1705. postquam confirmavit, ac innovavit Constitutiones Innocentii X. & Alexandri VIII. & Brevia Clementis IX. & Innocentii XII. a pravis Jansenianorum interpretationibus vindicavit, decernit, *obediencie, que præteritis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri.*

IX. Tandem, cum Paschasius Quesnel, Oratorii Jesu Presbyter, in libro Reflexionum moralium in novum Testamentum multos errores in Bajo, & Jansenio damnatos inseruisset, idem Clemens XI. anno 1713. librum & 102. propositiones ex eo excerptas damnavit celebri Constitutione *Unigenitus*, quæ ab universa Ecclesia est acceptata, a qua proinde non est appellatio, utpote ab Ecclesia ad Ecclesiam.

Subjiciemus infra systemata Jansenii.

DISSERTATIO II. PRÆAMBULA.

DE VARIIS NATURÆ HUMANÆ STATIBUS.

Status est conditio homini conveniens cum quadam firmitate, & immobilitate. Sumitur hic pro conditione, & modo stabili, quo se habet natura humana in ordine ad suum ultimum finem. Quoruplex distinguitur. 1. Status naturæ puræ. 2. Status naturæ integræ. 3. Justitiæ originalis. 4. Naturæ lapsæ. 5. Naturæ reparatæ. Possent adici status gloriæ, & status damnationis; sed de his non est hic quæstio, quia tantum nunc naturam spectamus, prout per auxilium divinum tenet ad suum ultimum finem. Itaque hæc Dissertationem Tractatui gratiæ præmitto, quia illorum statuum explicatio non parum conducit ad cognitionem necessitatis, diversitatis, & proprietatum gratiæ, moventurque circa illos graves difficultates.

ARTICULUS I.

Explicatur quinque Status naturæ humanae

§. I. Status naturæ puræ.

Status naturæ puræ importat præcisè naturam cum suis principis intrinsecè constituentibus, & illis, quæ ex illis sequuntur, seu ei debentur. Hinc. 1. Homo in natura pura conditus foret sine peccato, sine gratia sanctificante, sine virtutibus infusis, & sine auxiliis gratiæ ordinis supernaturalis, quia hæc illi non debentur ex ejus principis intrinsecis. 2. Foret obnoxius fami, siti crucianti, labori, morbis, passionibus alterantibus, & morti; quia, cum corpus, quod est pars materialis naturæ, componatur ex contrariis, quæ continuò inter se pugnant, hæc ex ejus principis intrinsecis sequuntur. 3. (1. *contr. gen. c. 52.*) Obnoxius foret ignorantie, & concupiscentiæ. Ignorantiæ, quia, cum intellectus natus sit ex sensibus notitiam intelligibilem acquirere, facillè propter phantasmata a vero deviare potest. Concupiscentiæ; quia, cum in natura humana non sit solum appetitus rationalis, sed etiam sensitivus, scilicet irascibilis, & concupisibilis, & unusquisque feratur in suum obiectum, rationalis in bonum secundum rationem, seu bonum honestum, irascibilis in bonum sensibile arduum, concupisibilis in bonum sensibile delectabile, non raro contingeret, quòd appetitus sensitivus ferretur in bonum sensibile contra dictamen rationis, siquæ forent motus inordinati contra rationem; sicut videmus, quòd ager appetat potum frigidum, repugnantem ratione. Neque obstat, quòd appetitus sensitivus naturaliter subjiciatur rationi; (1. 2. *quæst. 17. art. 7. o.*) subjicitur enim dumtaxat policite, ut civis Principi, uxor viro, filius Patri, qui possunt rebellare; non despoticè, ut servus domino, pes, aut manus voluntati, quæ in omnibus obediunt.

forent tamèn debita speciei naturæ, & eaque suæ providentiæ deberet Deus, ne frustra naturam ad aliquem finem condidisset, si nullum ejus individuum hunc finem assequeretur: sicut naturæ elevatæ ad finem supernaturalem debentur auxilia ordinis supernaturalis, sufficientia in omnibus ejus individuis, efficiacia in quibusdam ad hunc finem prædestinati.

6. Quamvis tempore S. Thom. (In 2. d. 29. *quæst. 1. art. 2. 1. p. quæst. 95. art. 1.*) quidam Theologi tenebant hunc statum existisse in Adamo, antequàm gratia sanctificante donaretur; nunc tamèn omnes conveniunt nunquam existisse, sed primum hominem, sicut & Angelos, fuisse creatos cum gratia sanctificante, & elevatos ad ordinem supernaturalem. Dicitur enim Eccl. 7. *Deus fecit hominem rectum.* Et Aug. 12. de civit. c. 9. loquens de Angelis, est autem eadem ratio de homine, *Deus, inquit, simul erat in eis condens naturam, & largiens gratiam.* Insuper Matth. 25. dicitur, Deum a constitutione mundi præparasse bonis Regnum Cælorum, malis Infernum, id est, felicitatem, & infelicitatem supernaturalem, consequenter Deum instituisse ordinem gratiæ simul cum ordine naturæ, & ad illum Angelos, & homines elevasse.

§. II. Status naturæ integræ.

1. Status naturæ integræ consistit in perfecta subjectione corporis ad animam, & appetitus sensitivi ad rationem: proudequè importat immunitatem ab ignorantia, concupiscentia, morte, & passionibus naturam alterantibus. Quia natura dicitur integra, dum inter ejus partes nulla est divisio, aut defectio a perfectione, inferioraque perfectè continetur superioribus, consequenter dum corpus perfectè continetur sub potestate animæ, ita ut nulla alteratione, aut corruptione ab ejus dominio deficiat, & appetitus sensitivus nihil habet rationi repugnans. Quòd si esset tantum alterutra subjectio, vel solius animæ ad corpus, vel solius appetitus sensitivi ad rationem, non foret perfectus status naturæ integræ, sed partialis ejus perfectio. 2. In ea natura integritate fuit creatus Adam. 1. Quantum ad immortalitatem, constat ex illo Genes. 2. *In quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris:* ergo, si non comedisset, non fuisset mortuus. Item ex illo Sap. 2. *Deus creavit hominem inextinguibilem, invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum.* Ad Rom. 5. *Per peccatum mors.* Et Pelagius in variis Conciliis fuit damnatus, quòd diceret Adamum esse mortalem factum, nosque nasci mortales, sicut Adam fuit creatus. Quantum ad immunitatem a concupiscentia, patet ex eo, quòd Genes. 3. dicitur, quòd, cum Adam, & Eva essent nudi, non erubuerunt; erubuerunt autem post peccatum; quia scilicet ante peccatum nullus motus inordinatus, de quo erubesceret, oriri poterat, post peccatum autem ortus est: & idèd Apost. vocat concupiscentiam peccatum, quia de peccato orta est, ut dicit Trid.

3. (1. *pars. quæst. 97. art. 1. o. & 3. ad 2. 1. 2. quæst. 97. art. 1. o.*) Donum integritatis situm erat in quadam vigore, quo homo corpus, & appetitus sensitivus ita sub dominio continebatur, ut nihil in eis contra ejus voluntatem accideret. Quantum ad defectum senectutis, contra quem iste vigor nihil poterat, aderat lignum vitæ, cujus proprius effectus erat vim vegetativam a simili languore præservare. 4. Istud donum in-